



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitium Perfectionis, Et Virtutum Christianarum

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

Lectori Salvtem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40105



LECTORI SALVTEM.

EST in prima & secunda operis huius parte materias nonnullas tractauerimus, ad religiosam vitam & professionem accommodatas; eas tamen quæ propriè & ex professo ad Religiosum spectant, nec non alias, quæ permagno nobis adiumento erunt ad finem & perfectionem, quam in Religione profitemur, consequendam, in hac tractata singillatim & magis in particulari deducimus. Atque hac de causa titulum ei damus, Exercitii perfectionis & virtutum Religiosarum. Hæc tamen ita dispositæ & declaratæ sunt, vt etiam alteri cuiilibet, cui profectum est virtutibus & perfectioni animæ suæ assequendæ incumbere, conducere queant. Quia primus de Instituto & fine Religionis nostræ tractatus materias complectitur generales, quales sunt, bonæ vitæ exemplum, zelus salutis animarum, insignis de nobis ipsis diffidentia, & infirmitas de Deo fiducia ac spes. Sic alienæ vitæ correctio, & propriæ correctio, desiderium, tum conscientie suæ rationem Confessario & Patri spirituali reddere (de quibus materiis in aliis tractatibus singillatim loquimur) ad omnes omnino pertinet. Et generaliter omnes aliæ virtutes, de quibus hac in parte agimus, etiam in omnibus statibus locum habent, partim superfluitates, ad quas contraria vitia inclinant, tollendo, partim quando per particulares status, quo quisque fungitur, obligationes, eas opere exequi prohibetur, saltem pio ac virtuoso voluntatis affectu possidendo. In Domino confido, fore, vt si Religiosus eas legerit, se excitaturus ipse sit, ad maiori cum seruore & diligentia, quæ statui & professioni suæ conformis est, vtuen dum; secularis vero, quantum ad vitæ status patietur, ad ipsum imitandum sit animandus; ita vterque quotidie in seruore spiritus incrementum facturus, & sincerius maioreque cum vigore Deo Opt. Max, seruiturus sit.